



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXXII. Potentes grauius mulctandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

alias ex multa simplici, alias e capitis æstimatione, (quam vvirgildum nuncupant) alias ex pœna seu animaduersione * colli obstructi, alias ex multa legis violatæ, alias ex honoris seu facultatum iactura, alias maiori, alias minori.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1009.* vulgo
pillaria.

XXXII.

Potentio-
res grauius
multandi.Quilibet
iuxta con-
ditionem
suam.Voluntas &
necessitas
consideran-
da.Misericor-
dia in om-
nibus adhi-
benda.

Et vt quisquis fuerit potentior in hoc sæculo, vel per scelera euectus in altiorem gradum, ita grauius emendabit peccata sua, & pro singulis malefactis pœnas luet grauiores. Propterea, cum dissimiles omnino sint potentes atque impotentes, iustum est vt illis simile non imponatur onus, nec infirmis aut inualidis vt valentibus: sed tum in pœnis ecclesiasticis iniungendis, tum in legibus sæcularibus exequendis, moderandum semper erit & distincte discernendum; scilicet inter senes & adulescentes, inter diuites & egenos, inter sanos & infirmos, & similiter in aliis ordinibus. Et si acciderit aliquem contra voluntatem suam, vel forte fortuito, delictum aliquod perpetrare, similiter non in eum est animaduertendum ac si voluntarie hoc fecisset & de industria. Quicumque enim necessitate pulsus in aliquo deliquerit, melius semper & clementius iudicandus est, ex ipso hoc quod ex necessitate factum perpetrauerat. In quouis igitur facto cautius discernendum est, iudiciumque iuxta factum recto moderamine disponendum, merces iuxta meritum, quoad Deum, quoad sæculum. Dei igitur timore commotus, quisque clemens atque mitis esto, misericordiam (prout opus fuerit) recte distribuens: nobis enim omnibus maxime expedit,

CIRCA ANNUM CHRISTI 1009. vt Dominus noster sapius atque iterum clementiam suam largiatur. Amen.

CONCILIVM ÆNHAMENSE
IUXTA ALIVD EXEMPLAR.

PRÆFATIO.

QVODAM tempore contigit vt regis Æthelredi edicto concrepante, archipræfulumque Ælfeahi & Vvulfstani horratu instigante, vniuersi Anglorum optimates die sancto pentecostes ad locum ab indigenis Eanham nominatum acciti sunt conuenire. Collecto itaque ibidem Christicolarum Cœtu venerabilium quamplurimorum, de catholicæ cultu religionis recuperando, deque etiam rei statu publicæ reparando vel consulendo, plura & non pauca, vtpote diuinitus inspirati, ratiocinando fermocinabantur. Denique in eorundem synodalis exordio sermocinationis, episcopi semetipfos primitus fidei speique & caritatis, quatuorque principalium virtutum, prudentiæ videlicet & iustitiæ, fortitudinis quoque & temperantiæ decore adornari, mutuis colloquiorum instructionibus salubrium inuicem cohortabantur, statueruntque pro inuicem quotidianam interuentionem, atque pactum pacis & concordia fideliter firmiterque inter se confirmabant.

Causa huius Concilii.

SYNODALIA DECRETA.

I.

Omnem quoque populum monebant, vnum regem sub vnius cultu religionis Christianæ, superstitionis ritu fanaticæ omnimodo abiecto, & timere & diligere. Deinde vniuscuiusque ordinis, vel sexus, vel ætatis cateruam accitam assistentemque, vt iuxta legis sanctiones catholicæ suam sobrie & iuste ac pudice in hoc sæculo vitam instituerent, suggestionibus multimodis secundum

Regem & religionem colendos, populum instruendum.